

instauracione, quam in missione studentium desides et negligentes existunt, ea propter capitulum generale mandat abbati in Grunehayn ut una cum prenominato abbate Veteriszelle patres de his provinciis, de Misna, de Lusacia, Slesia, Prusia, Pomerania et a Pomerania in fines Westvalie, Saxonia, Thuringia, Hassia, Franconia et advocacia
 5 et in partibus convicinis ad conveniendum et ad contribuendum pro instauracione loci predicti et ad mittendum studentes per suspensionem et ordinis penas et censuras auctoritate capituli generalis compellant in plenaria ordinis potestate et penas predictas non curantes generali capitulo denuncient. Datum sub sigillo diffinitorum.

9.

10 *Notariatsinstrument verfaßt von Andreas Güntzel über das Testament des Magisters Johannes von Münsterberg. Leipzig, 1416 Apr. 7.*

Hdschr.: Copie des Or. auf Perg. Archiv des Frauenkollegs I, 1 (A). Davon wiederum eine vidimirte Abschrift auf Perg. des Jonas Neander vom Jahre 1540 (B).

15 *Gedr.: Collegium beatæ Mariæ virginis in universitate Lipsiensi 17—23. — Auszug bei Zarncke, die Statutenbücher der Universität Leipzig 265—66.*

In nomine domini. Amen. Sub anno nativitatis eiusdem M cccc sextodecimo, indictione nona, die vero septima mensis aprilis hora terciarum vel quasi, sede apostolica vacante per depositionem olim pape Iohannis xxiii. nuncupati, in opido Lipczensi et specialiter in commodo venerabilis viri pie memorie Iohannis Ottonis de Monsterberg,
 20 magistri in artibus et sacre theologie professoris, in collegio maiori situato, in mei notarii publici testiumque infrascriptorum ad hoc vocatorum specialiter et rogatorum presencia, constituti personaliter honorabiles et scientifici viri Iohannes Hoffman de Swidnicz, magister in artibus et sacre theologie professor, Iohannes Czach, magister in artibus et baccalaureus in eadem et Iohannes Franckenfurdt de Freyenstad, magister in artibus et
 25 baccalaureus decretorum Wratislaviensis dyocesis tamquam testamentarii dativi dicti pie membris magistri Iohannis de Monsterberg credulitatem de ipsis per eundem magistrum testatorem pre ceteris confisam diligenter et fideliter exequi ut tenentur volentes, res et bona per dictum magistrum derelictas et derelicta perspexerunt et consideraverunt, ubi inter ceteras circa et prope lectum ante dicti magistri Iohannis de Monsterberg inventa et
 30 reperta est una ladula parva et eadem per eosdem testamentarios aperta, invenerunt quandam litteram testamentariam clausam, firmam, sanam et integram, non viciatam nec cancellatam, sed omni prorsus vicio et suspicione carentem^{a)}, propria manu prefati magistri conscriptam filisque albis per modum crucis consutam, sigillo rotundo sigillatam cum cera rubea, in quo quidem sigillo apparuit ymago beate Margarethe virginis et in
 35 circumferentia sigilli littere legebantur „sigillum magistri Iohannis de Monsterberg“, quam quidem litteram sic integram et sanam per omnia inventam ante dicti magistri testamentarii apperuerunt. Et magister Iohannes Hoffmann de Swidnicz prenominatus eam

9. a) B. carente A.